

Nd. 10

SACRA SAECVLARIA
IN
IVBILAEO SECVNDO
GYMNASII
EVANGELICO-LVTHERANI
ANTE HOS CC. ANNOS
SOLLEMNI RITV INAVGVRATI
PIE ET DECENTER CELEBRANDA

ET
ORATIONES
CVM SACRAM TVM SAECVLAREM
IN AEDE GYMNASII S.

A. D. XXVIII. AVG. AB HOR. MATVT. IX.

HABENDAS

o.

INDICIT

M. IOANNES PETRVS MILLER

GYMN. RECTOR.

HALLAE

FORMIS EXSCRIPTIS I. I. GEBÄVER. CLOCCCLXV.



Excessurus e' vita' viscerum' morbis gravissimisque doloribus' misere
excruciatus EPICVRVS cum alia mandabat amicis, lectulum
cingtibus, tum haec inprimis, ut ex facultatibus, quas relin-
queret, educandis amicorum quorundam liberis' confervanda-
que, scholae suaे prospicerent; quod supereisset ex recula,
id vero diei natali suo et sacrificiis et conviviis celebrando im-
penderent. (*Diog. Laert. X. 10.*) Quo in mandato id hominis fuit, sūi cupere
conservatam ad posteros memoriam; philosophi autem, sapientiae suaे posselli-
nem, qua scilicet a se inventa jure suo laetari is solebat, in consequentes homi-
num aetas transferri. Quidni enim speraret, et, qui natalem quotannis diem
mense Gameleone acturi, et item omnibus mensibus vicesimo die Lunae in sūi at-
que Metrodori memoriam culturi sint, inter epulas de suis esse praeceptis, quibus
scilicet fundere per omnem vitam nostram voluptatem veram et constantem stu-
duisset, inter se se disputaturos, atque adeo multis post se se novam hanc suaviter
vivendi sapientiam persuasiuros? Sed mirum fuisset, CICERONEM
nostrum uno hoc loco Stoacē suaē ita defuisse, nihil ut reprehendendum in extre-
mis philosophi verbis visus sibi fuerit vidisse. Et sane vidit plura, in quibus per-
stringendis ita argutulusne dicam? an inepite iniquus interpres est, ut me fere'
tanti quippe ingenii studiosissimum, poeniteat, ista vel legisse, vel hic ex pul-
cerrimo opere transcribere. (*Fin. bon. et mal. II. 31.*) Quis enim aequo animo
hanc tulerit subtilitatem? „Haec ego non possum dicere non esse hominis et bel-
li et humani, sapientis vero nullo modo, physici praesertim, quem se ille esse
„vult, putare ullum esse cujusquam diem natalem. Quid? verene potest esse
„dies saepius, qui semel fuit., rel. Sed qui a se ipso et a sapientis gravitate,
invidia Epicuri abreptus, paullulum discessit Cicero, deposita minutuli argutato-
ris persona, mox ad se iterum redit et digniora ingenio suo profert, quae certe
ejusmodi sunt, ut cadere in Gymnasi nostri saecularem follemitatem egregie
mihi quidem viderentur. Quam enim quoq[ue] te, quae mox addit, sunt pulcra!
Quod si dies norandus fuit, eumne potius, quo natus, AN EVM, QVO SA-
PIENS FACTVS EST? - - Sed nihil opus est litibus: tantum dico, magis
fuisse vestrum, agere Epicuri diem natalem, quam illius, testamento cavere, ut age-
retur. Quibus quidem in verbis et verus de vita hominum sensus, et recta de
meritis eorum, quibus sapientiam nostram debemus, sententia continetur. Quod
utrumque quam apte ad natales scholarum dies agendos pertineat, communodium
est, breviter jam strictimque disputare.

Et

Et primum quidem, ut ab hoc ordiar; diem cuique natalem eum esse, quo
 vivere coepit, nulli obscurum est. Itud vero *vivere* et aliud est ex vulgi, et
 aliud vicissim ex philosophorum sententia. Nam dum hi quidem cum Socrate ad
 corpus nihil, ad animum contra referunt omnia, omnem vitae ambitum ex sola
 sapientia et virtute metiuntur eosque tantummodo vivere existimant, qui juste,
 pie et honeste agere fuerint. (*Seneca ep. XLIX.*) Quo quidem magnificentius
 nihil aut dici, aut etiam cogitari de humana vita potest. Sensit enim is, quem
 honoris causa saepius nominare fas est, Socrates, solos deos veram vivere vi-
 tam, id est, hoc ipso nomine beatissimum, quod a vitiis omnibus, quibus homi-
 nes contaminarentur, puri, iustitiam et sanctitatem inter se constanter colerent,
 et assiduis de humano genere beneficiis praecclare merendo infinitam aliarum natu-
 rarum vim quam felicissimam reddere enterentur. Horum igitur vitam qui vir-
 tute et beneficia colenda imitarentur, eos quasi in caelo verfarici; qui vero hu-
 manis fere vitiis et fraudibus obstrinxissent, suisque se libidinibus emancipavis-
 sent, in corpore, tamquam in carcere, vinculis confitentes teneri. Cui senten-
 tiae proxima erat haec, quam Cicero supra obscurius, alibi clarius in Catone ma-
 xime suo, expredit: non esse eam partem, quae cernatur, Laelium aut Scipio-
 nem, sed illam, qua quisque loqueretur et ageret. Ex quo consequatur necesse
 est, non tum quidem natum esse Laelium, quo editum in lucem ejus corpus fue-
 rit, sed ea die, qua prima sapientiae atque virtutis semina conceperit. Et de hac
 nativitate multa solebat ingeniose ac jucunde disputare Socrates, atque si cui
 amorem sapientiae primum perfuasisset, huic obstetriciam opem in vita nanciscen-
 da, dicere se praestitisse. Quorundam autem hae pertinuerint sapientissimi hominis
 argutiae, non est difficile ad perspicendum. Nam quum sciret, ad unum mortali-
 um omnes magno et incredibili vitae longioris studio teneri, monere voluit,
 qua de vita protrahenda maxime cogitare deberent, scilicet non de ea, quae cor-
 poris motu, aut delectatione contineretur, sed de illa potius, cuius omnis vis ac
 beatitas in bene recte agendo posita esset. (*Xenoph. Mem. Socr. IV. 8. Cic.
 Tusc. I. 40.*) Illam enim, disputabat, quantumvis centum annos amplius annis consta-
 ret, tamen brevem esse, quoniam extreum sit in ea aliquid; hanc vero, aequa
 ac deorum vitam, nullo unquam fine esse definitam, sed esse perpetuum ad ma-
 jora ac sublimiora quasi quendam adscensum; nec ullo tempore caelstium menti-
 um actionem atque vigorem terminari, quippe qui, ut deorum providentia,
 semper in aliquo novo virtutis genere vires suas exercitarent. Quibus sententiis
 altum quendam et sublimem humanae dignitatis sensum inspirantibus, proclive
 erat, ut, qui illis imbuuerentur, putarent, qui mortis dies et vitae hujus cadue-
 ac fluxas supremus esset, eudem vita eminentiorisque primum, at-
 que adeo tamquam verum cujusque natalem gratulationibus et agendis Deo gra-
 tias summa cum laetitia esse concelebrandum. Et placuit haec de emortuali die
 opinio non philosophis modo, quotquot eorum ad Socratis et Platonis abditos et
 excelsos sensus assurerent, sed etiam de Christianis plerisque, quibus quippe
 suave, saevientibus maxime in fratres Domitianis, Decisi et Diocletianis, vide-
 batur, eum diem, quo quisque Christi causa inter horrendos cruciatus ad Deum,
 ad Iesum, dominum, cuius amore toti flagrabant, et ad sacrosanctum illud cael-
 stium mentium concilium hinc emigraret, *natalem martyrum* appellare. Fatendum
 vero est, sublimioris hujus nativitatis cogitatione mire pios et dedicatos Deo
 animos aduersus mortis minas et terrores muniri. Neque tamen vicissim eorum
 est



est contemnenda sapientia, qui verebuntur fortassis, quod si haec paulo nimium orationis copia et gravitate exornentur extollanturque alti et nobiles sensus, vi-
tae hujus pios omnes taedium capiat, illius vero desiderium tam ardens et vehe-
mens, ut vix sibi temperaturi sint, quin viae ad caelum compendia quaerant, immo vero laetum illum vere natalem diem ante, quam fata jubeant, pie cen-
seant sibi occupandum. Quo in periculo a piis et a civitate avertendo felix et ju-
cundus est Cicero, ut seipsum vicisse disputandi cum gravitate, tum suavitate vi-
deatur. (*Sonn. Scip. c. 3*) Sed vellicat mihi aurem molliter unus de juvenibus nostris, commode magistrum admonens, non esse tam fausto die attingendum locum de insidiis vitae ab altioris illius desiderio nimio, atque adeo ab ipsa pictate metuendis; contra vero ea nonnisi laeta, prospera et ad hilaritatem alendam ac-
commodata tractari a nobis debere.

Teneamus igitur, et id quidem praeter popularem opinionem, in natalitiis feriis non de hoc simpliciter gaudendum esse sapienti, quod natus sit; id enim habet nostrum quisque cum toto animantium genere commune; sed eam fereatis animis laetandi impensis materiam praebere cogitationem, quod sint ad divinam humananque sapientiam et ad virtutem omnem ex CHRISTI divinis praecepsis et exemplis colendam nati, eaque natura instructi, quae possit ad divinam illam altitudinem inter perpetua sanctitatis exercitia sensim tenuisque excelsa nisu ad-
scendere. Fallor enim, an qui urbium olim natales celebraverunt, non lapidum aut lignorum coagmentationi hunc honorem habere, sed ciuium illi, legum et iurium communione stabilitate atque firmatae confociationi tribuere voluisse, sunt censendi? Neque enim strues iliae aut moles faxorum Roma, illa terrarum orbis regina erant, sed illa potius tot hominum aequo religionum et institutorum foedere junctorum societas. Pro hac enim, non pro tectis, Decii morti sese de-
voerunt, Cicero vero et optimus quisque nullum differimus aut insidiarum ipsiusque mortis denique genus defugiendum sibi putarunt. Aut, quum Augusti natalis dies celebraretur, non quod natus sit C. Octavio filius, sed quod patriae pater ea die S. P. Q. R. datus, sollempni et publica memoria recolendum P. C. videbatur.

Quod ut cogitemus, Cicero supra monuit, *eum natalem justè agendum*, praeci-
piens, *quo sapiens factus sis*. Haec vero quam apprime ad craftinam urbis no-
stra laetiam excitandam augendamque faciant, nemini cordatorum scio obscurum esse; fed juvat tamen, huic cogitationi paullulum inhaerere, atque expen-
dere, *Scholarum natales*, urbium et quamplurimorum hominum esse. Et video quidem, multos fortassis fore, qui id mirentur, ex hac tabula civitati publica gaudia agitanda, mea quasi praeconis vocula indici, immo vero ex sacro suggestu istas ferias jam jam indicta religiose esse. Quid enim? audio nonnullos, quid isti aeris campani et tubarum strepitus? aut quid illa, quantulacunque fuerit, in aede vestra sacra pompa? Nolite, oramus vos, academicæ pubis ferventissimis studiis aut tot virorum publicis commodis regia auctoritate inservientium laboribus ista natalitia hilaritate obstrepare. Quin potius in monte isto vestro et in hortulis vestris placide umbris vestris fruimini. Quodsi enim per vos sapere ci-
vitatem hanc existimaretis, arrogantius id profecto facturi effetis. Hallam enim quoconque te vertas, Musarum vocibus personare, et omnis scientiae, eruditio-
nis, artium et liberalioris disciplinae genere illustratum an non dudum vosmet animadvertis? Transeunti per forum, Fridericianum beneficum fidus micat:
Glau-

Glaucham tendentis oculos utriusque tot juvenum nutricis liberalis species ad se allicet: ad Salam secundo alveo decurrenti jucundo spectaculo est Gymnasium Reformatorum. Nec suburbia prorsus muta aut obscura sunt. Vos vero vestra de portu ita laetari nos omnes jubetis, ac si nullae aliae Athenis audirentur sapientum voces.

Hae ut fictae a me per jocum videri possunt querelae, (quod Cicerone et Quintiliano testibus rhetores de palestra in quaestioneibus suis infinitis ingenii exercendi causa facere fuerunt) ita locum tamen faciunt almae matris nostrae, Gymnasio, de se senili more paullulum gloriandi. Quod enim, (ita mihi quidem loqui illa per quietem visa est) quod vos scilicet sapitis, non tam impudens sum, mihi ut id tribuere velim. Neque enim ignara sum, vinci me a Fridericana: at, quod patres olim vestri egregie sapuerint, quod bene de omni repermeriti fuerint, quod ante centum cum dimidio annos Haliam, tamquam ad mercatum undique juvenes confluxerint, id si mili sumsero, facturam id esse confido approbantibus bonis omnibus. Praeter me autem, nemo est adeo in hac civitate hospes, qui ignoraret, aliam nullam fuisse litterarum omnium in hac copiosa urbe nutricem. Quare si querubus aut eadibus senectus solet nonnulli veneracionis non aliam ob causam conciliare, quam quod habeat ille adspexit ad casuum multorum, quibus illa quidem prisci temporis monumenta defuncta sint, memoriam refricandam, vis et facultatis plurimum: aequare videri multo magis oportet, scholam illam, quae integra et farta ex tricenniali belli incendio aut pestilentiae, illius maxime, quae c. lxxxvi et lxxxviii. sacra et profana omnia vastavit, furoribus ac fauibus evaserit, tamquam singulare divinae providentiae monumentum coli atque spectari. Quae si levia aut cum aliis locis communia quibusdam viderentur, praesto sunt nomina magnorum aliquot virorum, qui mea ex disciplina olim prodierunt. Sed abstinebo a tam caris nominibus, quippe quae malum, suarum cujusque civitatum, quam mea censeri ornamenta. Mihi quidem satis est, beatam tot filiorum matrem esse, et malo verecunde frui meorum haec meritorum in rem conscientia, quam fama; operam datura, ut mihi ipsi non defuisse, neque ab hac mea antiqua laude videar descivisse. Haec illa. Quae qualia fuerint, lectores, vere saltim illa de se praedicare potest ab ipso suo senio veneranda et cara a foecunditate mater, Gymnasium; immo vero nescio, an non hoc nobis carior esse et venerabilior suo jure debeat, quod longius ab illo vitio absit, quod H-
RATIVS seni tamquam proprium tribuit:

Difficilis, querulus, laudator temporis acti

Se puro; censor castigatorque minorum.

Ut enim non omnino ignara fuerit nostra priscae illius suae felicitatis, cum sola illa in hac civitate floreret, undique ad illius sinum et disciplinam confluentibus juvenibus; atque non sit infirmandum, et obscuratum fuisse alii luminibus antiquum hoc urbis fidus, et attritus etiam hand mediocriter cum sumtuum magnitudine, tum iniquioribus quibusdam casibus, viribus suis, aegre illam vegetram et virentem senectam, quam in humano genere tantopere amamus et admiramus, sustinuisse: non est tamen ad istam morositatem lapsa schola nostra, ut alienae felicitati aut famae inviderit, quin adeo non difficilibus est moribus, ut non identidem cum succulo repuerascat blandius, et, quibus quaeque aetas principatum tribuerit artibus, his maxime imbuendam a se pubem suam censuerit.



Sic, ut hoc utar, cum ardere inter nos neglecta olim mathematica, physica, geographica, vernaculae linguae ac francogallicae, historiae item litterariae studia inciperent: in his tradendis, inculcandis, exornandisque ita jam ex longo tempore tota est, ut iniquissimus sit, qui officio eam bonaे matris, aut commodis filiorum suorum, atque adeo ipsi avitae laudi suaе defuisse pronuntiaverit. Quo magis laudanda est a me eorum, quorum post D E V M, consilio et auctoritate res nostrae aguntur, prudentia atque aquitas, quod, quos educandae sobolis peritos et fideles magistros cognovissent, his liberum esse velint, re graviter deliberata et cognita, compendia viarum trito illi quidem, at minus praesenti temporis aut publicis commodis satis accommodato itineri sapienter utiliterque anteferre. Cui rei satis luculentum est indicio, quod cum G A S S E R V S magnam moliretur eamque admodum probabilem A. O. R. S. c l a b c x x x v i in tradendis disciplinis mutationem, adeo non improbarent generosum ictud et grave consilium, ut laudandum potius omniue ratione adjuvandum dictarent Gymnasi Ephori. Sed ut tantae rerum omnium, quantumvis in meliorem formam, mutationi, res nostrae et alia obstant, hunc tamen autores et adjutores honorifice commemorandi consili sui habuerunt et nos habemus post eos, fructum, ut multa sensim sensimque leni temporis lapsu et citra invidiam, quae novitatis comes esse dudum fuerit, ad istam, quam meditabantur viri illi, liberaliorem formam accederent. Ego vero ingratus essem erga optimos collegas, nisi hoc publice pae me ferrem, ut quisque optime sit cordatus et publicis commodis favens, ita mire me in re gerunda in dies melius ac provehenda adjutum et excitatum adeo, ivisse. Quos me de sua illa facilitate eo magis amare fas est, quo plus habet ea flexibilitas in confirmata ipsis annis aetate, mente et confuetudine admirationis. Neque haec tam mirabilis et merito praedicanda animorum studiorumque nostrorum consensio optato suo huc usque et prospero eventu caruit. Ut enim in tanta aedilium maxime et aliorum sumtuum magnitudine, redditum vero mediocritate, difficillimis praesertim temporibus, quibus vix defuncta est cum civitate schola nostra, nihil sit, quo invitare magnopere alienos in primis hospites queamus: magna tamen ex peregrinis terris ad nos accessit discipulorum frequentia, ut jucundum fit, in albo Gymnasi tot urbium remotissimarum nomina repetere.

Sed non committam, ut per centendis his et aliis rebus gloriari de rebus nostris videar velle: quod licet libet locorum non incommoda fiat, Hallae modo, i. e. ea in civitate, quae aemulos laudis habet, magnis meritis conspicuos, et universitate litterarum superbit, vanius consilium videri posset et fortassis arrogantis: haud secus, atque qui Hamburgi de fortuna, quam mercatu suo inter Helvetos, Saxones aut viciniores gentes experiretur, multa jaclaret, quasi id non majus esset, cum extrema India rem agere feliceret.

Tribuanus igitur potius rei nostrae felicis inter tot duras vicissitudines, a quibus non est immunit humana omnis conditio, gestae laudes iis, quibus pie debemus. Et cui majores gratias agere fas sit, quam D E O, qui unus potuit nomine suo et providentia efficere, ut aedes haec a sordibus papalium superflitionum et earum maxime, quibus ignavum monachorum genus, quod ERAS M V S, oculatus restis, tam belle pingit suis in colloquiis, in turpi suo otio se cure indulgebat, aut potius turpissimo obsequio serviebat, purgata, caelestis sapientiae omniumque divinarum humanarumque disciplinarum domicilium reddita fuerit. Quod, quantae molis fuerit, docere, longum nimis foret. Hoc vero loco

loco id unum non est praetereundum, majorēs nostros, lucis utpote orientis
 amantissimos, jam A. O. R. S. c^lIX^lXLI. ingenti pecuniae summa, edicto illis im-
 perata, aliquam religioae libertatis umbram ab ALBERTO, aulae Rom. Purpu-
 rato redemisse, ipsumque IUSTVM IONAM Vitemberga huc evocatum, rei
 sacrae moderanda p̄aefecisse; plenam vero libertatem Transactiōne demum Paf-
 faviensi cum reliqua Germania, qua Evangelio paret, impetrass̄e, unos vero Mo-
 nachos non prius, quam A. LXI. auctoritate SIGISMUNDI, Brandenburgici, fa-
 cultatem cultus publici ex formula pontificis Romani celebrandi amisisse, brevi
 vero post sponte sua prifinas suas in aede nostra et in Glauchensi suburbio fedes
 deseruisse. Cui quidem beneficio hunc quasi cumulum accedere voluit optimus
 p̄aeful, ut, quum veteres coloni jam migravissent, ex lege inter IO. F R I D E-
 R I C V M Saxonem et inter IO. ALBERTVM Magdeburgicum A. XLVI. pa-
 cta, monasterium a fratribus minoribus et monialibus vacuum relictum ita vindicare-
 tur, ut illud publicis commodis pro sapientia sua destinarent, quod ipsum tanto
 aequius postulaverant, quanto certius erat, et exstructum primum ex aerarii
 sumtibus monasterium fuisse, et civium liberalitas una conservatum. Impetra-
 bant vero Patres civitatis hanc veniam conciliatore maxime M. PAVLLO
 P R A E T O R I O Confiliario P̄aefulis et amico; ea autem non melius, ut pru-
 dentissimi erant, se usuros esse intelligebant, quam si tres illas parochiales scho-
 las et his obscuriores reliquias, in unum corpus cogerent, et huic uni Franciscan-
 nam aedem sancto ritu publice dedicarent. Factum hoc est hoc ipso mense Augu-
 sto et die quidem ejus 17. fl. v. A. LXV. tantique beneficij et divini muneri an-
 niversariam memoriam ad omnem posteritatem civium suorum transferri gravissi-
 me voluerunt. Sed vana fuisset haec majorum nostrorum de provehenda littera-
 rum luce et dignitate tuenda providentia, nisi, qui in eorum locum succederunt,
 hanc principem sibi ab illis curam quasi per manus traditam exitimavissent. Et
 superiorum quidem temporum laudes enumerare longum esset, nostrae vero aeta-
 tis prorsus tacere, insignis in tanta merita impietatis. Postrem vero ex nostra
 memoria ea adferre singularis curae cum AMPLISSIMI SENATVS, tum COL-
 LEGII SCHOLARCHALIS pro salute nostra tuenda augendaque specimina,
 quae, ut temporum nostrorum difficillima est ratio, quo magis arcana malis et
 necessitatibus accommodata sunt, ita minus publicam lucem et praedicationem fer-
 runt. Est enim quoddam sanctius boni patris familias curarum genus, quod eam
 ipsam ob causam, quia internis et maximi momenti rebus liberorum iitis confi-
 liis prospectum itur, non est ultra sacrum illud penetrale et limen proferendum.
 Reliqua, quae a munificentia et largitionibus divitum profluxerunt, publicorum
 locorum et item insitutorum ornamenta non ferunt illas tenebris, sed lucem et
 commendationem defiderant, non alio magis nomine honestam, quam quod in
 hoc liberalitatis p̄aeconio magna vis insist ad aliorum munificentiam provocandam.
 Vestram vero, P A T R E S, sollicitudinem, vestras deliberationes in illis angustis
 rebus nostris non quidem lautior et expiendescens operis eventus, sed pietas una
 commendat et D E O quidem maxime, quod unum nobis merito certissimum est
 rei feliciter gerendae praesidium, D E O inquam ipsi commendat. Nam quae hu-
 manis opibus fulcit in deliberando aut re gerunda sapientia, facile sui ipsius
 commendatrix est et p̄aecones admiratoresque inveniit plurimos: quae vero his
 est destituta, in obscuro jacet. Quae quidem cogitatio dicere non possum, quantu-
 m illa animum meum confirmet, non esse commissurum, qui parvis rebus ad-
 jutor

VIII




jutor adest, **DEVM**, ut temporum injuria, senio quasi confectum ipsaque mole sua oppresum ruat nostrum Gymnasium.

Quas quidem pias spes non **PLINIVS** aliquis, pulcre de schola a se constituta, at jactantius de suis in eam meritis praeedicans (*L. I. ep. 12*) in nobis excitabit, sed is, qui toties nos inter bellicos istos strepitus et terrores non minori gravitate, quam copia divinis sollatiis erectos de omni rep. bene sperare jussit, **VIR SUMME VENERANDVS** atque ipsis suis meritis **EXCELLENTISSIMVS**, **FREDER. EBERHARDVS RAMBACH**, *Conf. Magd. membrum, coetuum ad Salam fl. et Hallensis Ministerii Inspector, Pastor ad eadem B. Virg. primarius, et Gymnasi Scholarcha meritissimus*. Quae enim in crastinum diem a splendidissimo Senatu, Gymnasi patrono, supplicatio ad agendas **DEO**, conservatori nostro, plenissimas gratias est decreta, ea vero non meliora aut laetiora auspicio capiet, quam sacris in aede scholae nostrae ex pura evangelii norma et forma faciundis, duce autem et interprete eo, qui et **IPSE** caffissimae doctrinae, hoc ipso in templo ante CC. annos stabilitae, et omnis humanitatis liberaliorisque disciplinae studiosissimus est. Et sanctae quidem hujus ceremoniae, qua Hallensis civitas, numquam non optimarum artium studiis favens, pietatem suam erga **DEVM**, litterarum et virtutis unum statorem et conservatorem, est testatura, initium ab hora antemerid. **IX.** fiet, dato aeris campani ex tota urbe signo. Illa vero pie et religiose peracta, consensam cathedralm ornabit publicus **PATRVM CIVITATIS** orator et interpres, **VIR CONSULTISS.** atque **AMPLISSIMVS**, **GE. DAV. THEBESIVS**, Syndicus urbis et Gymna. Scholarcha meritissimus. Ut igitur

SERENISSIMVS PRINCEPS BERNBVRGICVS

eminentissimum hunc Musis nostris honorem pro **SVA** illa, quam hostiles ipsae provinciae tamquam sideris benefici ex tenebris in media tempestate emicantis, jubar veneratae sunt; nos vero, ut ea bono nostro fruimur, ita laeti quoque quotidie intuemur, clementia habere dignetur, submississime rogamus. Et quoniam totus hic sollemnis ritus ad supplices **DEO** gratias devota et pia mente agendas atque ad bonarum artium laudem est decreitus, audemus, quantacunque possumus et debeamus, observantia et contentione, Proceres ac ornamenta **OMNIVM** hujus civitatis **ORDINVM** obtestari, ut frequenta sua honorifica quanti faciant reip. seminaria, prae se ferre et palam facere haud graventur; idque eo magis facturos confidimus, quod ipsis inter exterios eruditum quidam viri communem hanc fibi laetitiam videri, non litteris modo, verum etiam libellis significandum existimavere. Quorum, qui primus fuit, merito honoris causa nominari a me debet **VIR CONSULT.** et **EXCELLENTISS. D. IO. CAROL. CONR. OELRICHIS** Hist. Jur. litt. Pr. ord. in regio atque acad. Gymn. Palaeo Stettin. Diff. doctissima de **Servis juris peritis atque Magistratibus apud Rom.** triges Gymnasiorum Iubilaeum **I.** celebrantium, et nostro nominatim, dicata.

P. P. Hallae Magd, a, d. XXVII. Aug. A. O. R. S. c¹⁵ lcc LXV.



ff3373

ULB Halle
002 188 97X

3



Sb.

von M.



SACRA SAECVLARIA
IN
IVBILAEO SECVND
GYMNASII
EVANGELICO-LVATHERANI
ANTE HOS CC. ANNOS
SOLLEMNI RITV INAVGVRATI
PIE ET DECENTER CELEBRANDA

ET
ORATIONES
CVM SACRAM TVM SAECVLAREM
IN AEDE GYMNASII S.

A. D. XXVIII. AVG. AB HOR. MATVT. IX.
HABENDAS

INDICIT

M. IOANNES PETRVS MILLER

GYMN. RECTOR.

HALLAE

FORMIS EXSCRIPTIS I. I. GEBAYER. CIJIOCCCLXV.

